

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Icones sive imagines virorum literis illustrium**

**Reusner, Nikolaus**

**Argentorati, 1587**

Ioannes Schneidevvinivs

[urn:nbn:de:bsz:31-271751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-271751)

IOANNES SCHNEIDEVVINIUS

Iurisconsultus.



*Iuris & interpres sum, iustitiæq; sacerdos:  
Si taceam, libris constat id omne meis.*

M. D. LXIIX.

IOANNES SCHNEIDEVINVS STOL-  
bergæ natus in Turingia, anno M. D. XIX.  
Puer admodum Vitebergam missus, studiorum  
causâ; & M. Luthero, à quo filij loco semper  
habitus fuit, commendatus;

Præceptore vsus domestico Vito Theodoro  
Theologo clarissimo;

Ciuilis sapientiæ cognitione instructus egregiâ:  
Perbenignè in aulam Sacr. Rom. Imperij Comitum  
Schuarceburgicorum accersitus, quibus à con-  
silijs fuit per integrum quadriennium:  
Pòst reuocatus inde in Academiam perhono-  
rificè, & in eâ summos adeptus honores  
in Iurisprudentiâ;

Neque solùm in Collegium Iuridicum, sed &  
Iudiciũ allectus Prouinciale;

Operam Reipub. & docendo, & dicendo iure  
nauans vtilem ac fidelem, per annos XX.

Quum non magis iuris, quàm iustitiæ, & æqui-  
tatis consultus videri vellet;

Commentarijs in aureolum illud opus Insti-  
tut Imperiali. sanè locupletissimis & foro præ-  
sertim accommodatissimis, plurimum Reip.  
atque adeò omnibus Iurispr. studiosis etiam  
in posterum profuturus, & in his cum grata  
sui memoriâ, & multorum vtilitate  
perpetuò victurus;

Obijt Seruestæ Apoplexiâ anno M. D. LXIIIX. Aet.  
XLIX Sepultus Vitebergæ ad latus M. Lutheri,  
quo ipse in vita hospite ac Magistro ad  
pietatem vsus fuerat.

IN IOANNE M SCHNEIDE-  
vvinium Iure consultum.  
MARTINI HENRICI.

Quem fecunda tulit venis Stolberga metalli,  
Lumine sed verbi ditior illa sacri:  
Hæc est Oenotomi Iani doctoris imago:  
Effinxit Luca quam tibi docta manus  
Carus erat Lut here tibi, ceu filius: instar  
Hunc quoque fouisti, docte Philippe, patris.  
Religionis amans, veri studiosus, & æqui:  
Integer & vitæ vir, fideiq; fuit.  
Laudibus est dignus geminis, dum certat vtrung;  
Iuris in hoc, sanctâ cum pietate, decus.  
Semina Romani iuris, sub Leucoris vrbe,  
Cum binis annis per tria lustra docet.  
Dum quid sit rectum, quid iniquum è lumine verbi,  
Ac iuris, facili dexteritate videt.  
Lustra nouem vitæ cum quatuor egerat annis,  
Quum Deus hunc vitæ de statione vocat.  
Ipse per Europa famâ celeberrimus vrbes,  
Mortuus æternum nunc quoque nomen habet.  
NIGOLAI REVSNERI,  
Dum ius ritè doces, ius dicis & omnibus æquè:  
Consultus iuris, sed mage iustitiæ:  
Iustitiæ meritò dicaris Iane sacerdos:  
Par Celso, aut magno, hoc nomine, Sulpitio.